

(1267) 1268, febrer, 17

*Sentència interlocutòria del jutge Bernat d'Empúries en causa entre Berenguer d'Aguiló i Bernat de Riusec, de Madremanya, sobre el cens a satisfer per un molí del mas del darrer.*

ASD núm. 197, perg. orig., 275 x 210 mm.

Mota questione inter Berengarium de Aquilone, militem comorantem apud Palacium agentem ex una parte, et Bernardum de Riوسico de parochia Sancti Stephani de Matremagna ex altera, proposuit siquidem et in iure dictus Berengarius in presencia Bernardi de Impuriis iudicis assignati ab eo in hac causa suas querimonias, offerendo libellum in iure cuius tenor talis estt. Ponit Berengarius de Aquilone contra Bernardum de Riوسico tenetorem mansi qui fuit Marie de Riوسico et successorem in eodem manso cum pertinenciis suis ipsius Marie et successorum eius conquerendo, dicens quod idem Berengarius condam stabiliuit et donauit dicte Marie et filio suo Petro condam deffuncto et suis perpetuo quoddam molendinum suum quod situm est in parochia Sancti Stephani de Matremagna, in ripparia que est in loco uocato Riوسico ita hoc pacto, condicione siue causa adiecta inter ipsos ut haberent et tenerent ipsi et sui dictum molendinum pro eo siue per ipsum et suos perpetuo, retento sibi et suis directa dominio in omnibus et per omnia, et quod inde clarent sibi et suis pro censu unam galinam et decem migerias bladi pulcri et boni ad mensuram de Monellis, que Maria et qui Petrus filius eiils condam, tenetores predicti mansi et diu uel quasi cum pertinenciis suis promiserunt per se et heredes suos siue successores se tenere pro ipso et suis dictum molendinum, et quod clarent sibi et suis perpetuo predictum censum racione dicti molendini, obligantes se ad hoc et omnia bona ipsorum mobilia et immobilia, presencia et futura et successores siue heredes suos se atenderere et complere sibi et suis, ut superius est expressum, et numquam in aliquo contrauenire, dummodo dictum molendinum permaneret integrum uel non integrum ubi tunc temporis erat, uel si destrueretur aliquo casu, quod posset redificari siue mutari in alio loco predictae riparie siue monarii, in honore tamen dicti Berengarii; unde cum dictus Bernardus sit tenetor et successor siue heres predictorum in dicto manso cum pertinenciis suis et cessauerit prestare dictum censum a tempore septem annorum citra et plus, et dictum molendinum fuerit et adhuc est et esse potest comode ubi tunc erat et esto sine preiudicio quod ibi esse non posset, habeat in eadem parochia in dicto monario dictus Berengarius honorem et possessiones et locum aptum in quo posit mutari dictum molendinum, petit ipsum condempnari sibi in prestacione dicti census et in dictum censum prestare amodo quolibet anno et quod de cetero non faciat sibi impedimentum per se nec suos uel eciam alios quoscumque quominus dictum censum possit habere ipse et sui, in quibus omnibus predictis petit ipsum condempnari et ea omnia sibi adiudicari. Hoc dicit saluo iure addendi et minuendi, mutandi, corrigendi. Et cum fuisset citatus dictus Bernardus semel, bis, ter, peremptorie et quater post peremptorium ad superandam eius maliciam pocius de gracia

quam de iure, ipso Berengario comparente minime, comparuit dictus Bernardus per se uel per aliquem suum procuratorem siue excusatorem, et dictus Berengarius petiit instanter iudicem interloqui et se miti in bonorum possessionem dicti Bernardi pro modo declarati debiti et ipsum condemnari in expensis quas fecit circa hanc causam et quas extimat ad uiginti quinque solidos ut contumacem in non comparendo. Et iudex dixit dicto Berengario quod ostenderet de iure suo pro sumaria cognitione facienda. Qui Berengarius produxit in testes iuratos Berengarium Pages et Petrum Sabater de Matremagna ad probandum dictas citaciones esse. factas in processu per eosdem dicto Bernarda nomine dicti Berengarii et iudicis, et edidit in iure ad eius intencionem fundandam cartam dicti stabilimenti et produxit hos testes iuratos, Guiliemum Fuxani et Raimundum Densgrel de Matremagna deponentes quod Bernardus predictus tenet et possidet et tenuit ut tenet orem siue possessorem dictum mansum cum honoribus et pertinenciis. Uisis igitur et auditis diligenter inquisitis, inspectis et consideratis atentis et perlectis petitionibus, narracionibus et dictis testium et dicta carta et aliis spectantibus ad merita causarum et iuramento prestito a dicto Berengario se habere et mouere iustam causam ut supra contra dictum Bernardurri, ego Bernardus de Impuriis predictus, habito consilio prudentum uirorum interloquendo pronuncio dictum Berengarium de Aquilone esse mittendum in bonorum possessionem dicti Bernardi pro modo declarati debiti ac petiti et taxatione prius facta a me iudice et prestito iuramento a dicto Berengario adiudico eidem ratione dictarum expensarum uiginti solidos barchinonenses de temo, in quibus omnibus predictis condempno dictum Bernardum de Riuosicco ut contumacem in non comparendo et in penam sue contumacie et ea adiudico dicto Berengario.

Lata fuit hec interlocutoria anno Domini millesimo .CCLX. septimo, .XIII. kalendas marcii, presente dicto Berengario et Arnaldo Jaufrido clerico et Guilielmo Fuxano et Berengario Pages de Matremagna et Petro de Colle de Episcopali et pluribus aliis, in solerio ospicii dicti Berengarii apud Matremagnam.

(s. man.) Bernardi de Ympuriis predicti\*.

(s. man.) Petrus de Colle de Episcopali, qui hanc interlocutoriam scripsi mandato dicti Bernardi de Ympuriis, cum litteris in raso rescriptis in .XXXIII. linea ubi dicit "interlocutoria", die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 411-413